



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

R. De Sovrebi Clerico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

de Condrei. Ex dono Willelmi de Merlai, unam acram terræ & dimidiam apud Audrei. Ex dono Vualteri de Aignealil, tres minas frumenti & tres minas ordei in territorio Cadomenfi. Ex dono Simonis de Buefvill. unum sextarium frumenti in molendinis de Buefvill. Ex dono Maneri Selonis, duodecim acras terræ apud Feuge-roloes. Ex dono Roberti de Briucort, tres sextarios ordei in molendino de Babamvill. Ex dono Roberti Iugan, decem & octo acras terræ apud Capellam Engeuger. Ex dono Reginaldi de Barneres, duodecim solidos; duos capones, & triginta ova apud Bovealvill. Ex dono Ricardi de Audrie, tertiam partem terræ suæ apud Fonteni. Ex dono Hurtaudi, unam acram terræ apud Maletot. Ex dono Willelmi Bacun de Formignie, unam acram terræ apud Arthence. Terras & redditus quos Alanus Lebrer, Radolphus Pucras, & Willelmus Lavicelle, & fratres ipsius, domui vestræ pietatis intuitu concesserunt. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in hospitali prædicto professionem fas sit sine Prioris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Statuimus insuper ut nulli liceat novas & indebitas consuetudines aut exactiones vobis aut Capellis vestris imponere, aut in vos vel domum sive Capellas prædictas sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias promulgare. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilij sanioris secundum Deum & beati Augustini regulam providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri desideraverint, nisi fortè excommunicati vel

Tom. II.

interdicti sint, nullus obstitat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam domum temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorū pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & dioecæsanæ Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens &c. usque districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. usque præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidia Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij v 11 i. Idus Aprilis, Indictione decimatertia, incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertio decimo.

## R. DE SOVREBI CLERICO.

**C**um Ecclesia Suvvellensis in proventibus & in Clericorum numero penuriam pateretur, venerabilis frater noster Galfridus Eboracensis Archiepiscopus ad suppleendum defectum hujusmodi & cultum divini nominis ampliandum, cum consensu Capituli ejusdem Ecclesiæ, de quadam magna præbenda in eadem Ecclesia tunc vacante duas præbendas instituit, duobus Clericis in perpetuum conferendas, quarum unam, scilicet Ecclesiam de Muskeham cum pertinentiis suis, idem Archiepiscopus dudum magistro T. de Disce Clerico suo contulit, eoque illam postmodum resignante, ipsam tibi liberaliter assignavit, quam postulasti tibi per sedem apostolicam confirmari. Nos igitur tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, dictam præbendam cum communia pertinente ad ipsam, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno tertio decimo.

Epist. 12.  
Et confirmatur  
præbenda Ebo-  
racensis.

